Præclaræ ſpei induſtriæ & probitatis
Adoleſcenti

JOHANNI JACOBO FADEMRECHTIO,

Filio unico

VIRI

Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi

DOMINI

DN. DAVIDIS FADEMRECHTII

Praeconſulis & p. t. Praeſidis apud Mariaeburgenſes
graviſſimi meritiſſimiqve,
Præter opinionem rebus mortalium
d. 27. Auguſti *An.* 1712.
circa horam IX. veſpertinam
erepto,
I*pſisqve calendis Septembris*
contumulato
Suo in vita commilitoni ſuaviſſimo ſumma cum animi triſtitia
ultimum amicitiæ officium
præſtare cupiebant
Primae Curiae Auditores.

THORUNII,
Impreſſit JOHANNES NICOLAI, NOBIL. SEN*A*T. E*T* GYMN.
Typographus.

Musa qvid Aonii taciturna silentia Pindi
Signant, cur veluti frigida saxa stupes?
Cur tua diverso miscentur lumina luctu?
Quidve notat mœstæ turbidus imber aqvæ?
Proh dolor! occubuit studiosos inter alumnos
Princeps; & doctæ pulchra corona scholæ.
Recte, Musa, doles, fatalia Numina Parcæ
Dura decerpunt optima quæque manu.
Hujus describet vitam vix Crena Poetæ,
Vixque canent numeri, culte Tibulle, tui.
Impia damnavit pravæ commercia turbæ,
Ejecitque suo limine quodque malum.
Anguem non adeo fugimus, rabidumque catellum,
Non quæ spiravit toxica nigra draco.
Nec Dea quæ spargit clamosæ semina rixæ
Turbavit mentem, Frater amande, tuam.
Sola tibi placuit virtus, cui nocte dieque
Intentus clarum nomen ubique geris.
Vidimus hunc pigræ nunquam favisse Vacunæ,
Non fregit mentem cura maligna piam.
Ille suos tantum socios caput extulit inter,
Quantum inter frutices fraxinus alta solet.
Nunquam neglexit rubros Pallantidos ortus,
Nocturnos fumos impiger ille bibit.

Riman-

Rimantiqve suæ divina sacraria Musæ
Curæ non obstant Herculeusve labor.
Ut, qui rimantur fossores pulchra metalla
Ferme descendunt ad mala regna stygis.
Quid dotes animi magnas subtileque cantem
Ingenium factum de meliore luto.
Eheu, morte nimis matura lumina langvent,
Duraque vitalis deserit ossa calor!
Pierides doctæ luctu cruciantur acerbo,
Lugubris clamor sidera celsa ferit,
Cynthius ipse levem citharam projecit Apollo,
Istaqve lugenti pectore verba trahit:
Ergone dilectos natos viridemqve juventam
Eripiet nostro trux Libitina choro?
Vix in Trendeli, conceptus funere luctus
Desiit, atqve novem vix tacuere Deæ:
Nuncius ecce novus terret velamine scisso
Et Fademrechti fata dolenda refert.
Occidit ante diem Pindi præclara corona,
Nostræ deliciæ Gymnasiique decus!
Accurrit laceris ad tristia funera nati
Crinibus, & profert talia verba parens:
Eheu! quo vadis mi dilectissime nate
Nostræ olim qvi spes unica stirpis eras?

Quis

Quis claudet tenera morienti lumina dextra?
Quis mea communi conteget oſſa ſolo?
Quis facit, ut noſtræ ſtirpis pia turba nepotum
Sit memor, ut vigeat nomen in orbe meum?
N*ec minus ingenti mater confecta dolore*
Squalida lugubri corpora veſte tegit.
Omnia turbantur luctu, ſoror utraqve fratris
Proſequitur fletu funera dira ſui.
Quid vero nimio juvat indulgere dolori?
Cur mœror tantus triſtia corda premit?
Ille eſt ereptus multis gravibusqve periclis;
Nos vexant curæ difficilisqve labor.
Ad tutum præſtat littus convertere puppim,
Quam rabidi Ponti peſſima quæque pati.
Exue funeream, Genitor triſtiſſime, veſtem;
Defuncti vitam non revocare potes.
Chari cognati lacrymas ſuſpendite mœſtas;
N*il prodeſt ruptis exululare comis.*
Quem Vos lugetis ſuperum penetravit ad axem,
Cœpit & omnigena proſperitate frui.
Sed tua, F*ademrecht, quondam ſvaviſſime Frater,*
In gelido buſto molliter oſſa cubent.
Ante tenebroſa piſces capientur in ulmo,
Noſtra tui quam mens immemor eſſe queat.

[o]